






1
7
93










PROGRAMMA
IN FUNERE
VIRI SOLERTISSIMI ET PERITISSIMI

DN. HENNINGI MÜLLERI
ACADEMIÆ IVLIÆ TYPOGRAPHI
P. P.



HELMESTADII
Typis HENRICI DAVIDIS MÜLLERI Acad. Typ.
CIↃ IↃC LXXV.





PRORECTOR
ACADEMIÆ JULIÆ
HENRICVS MEIBOMIVS
MED. D. ET PROF. ORDIN.

CIVIBVS ACADEMICIS
S. D.



Uod hodie funus vobis indicimus, Cives, non alicujus est ex ordine docentium, nec ex numero discentium, ejusmodi tamen viri, qui & his & illis sua dexteritate & industria laudabilem præstitit operam, & sine cujus Arte nostro seculo cum alii, tum illi inprimis, qui in Academiis vivunt, non putent se scopum suum attingere, & spem, quam Respublica de illis habet, implere posse. TYPOGRAPHICAM Artem dico, de cujus Natalibus & primo Inventore multæ inter Historicos agitantur controversiæ, pugnantibus pro Harlemensibus Junio, Scriverio, Boxhornio, pro Moguntinis Serrario & Mallincrotio, pro Argentinensibus Naudæo, Boeclero, Mentelio, qui ultimus suo gentili operosè asseruit nobile inve tum, vir eruditissimus. Non est quidem hujus loci in illam rem inquirere, si tamen argumenta à præstantissimis Viris allata examines, videtur Argentinensibus deberi, &, si quid Batavis, non nisi tenuia ejus rudimenta. Quicquid autem sit, suffecerit ad

Patriæ nostræ laudem, in Germania (nam & Batavia Germaniæ pars est) natam esse Artem divinam & mechanicarum omnium facile principem. Fortassis autem non injuria pius aliquis, uti omnium Artium inventiones singularem aliquam divinam gratiam loquuntur, ita illud ipsum Natale Typographiæ tempus à cælesti providentia censuerit arcessendum. Annus agebatur supra millesimum quadringentesimum quadragesimus, & omnia occupaverat infausta barbaries, litterarumque secreta nobiles pariter & ignobiles ignorabant. Erant quidem magnæ quædam animæ, meliora suspirantes, & præclara conaturæ: verum, cum sine optimorum librorum copia perfici res non posset, in quibus tamen describendis plerorumque tenues opes, & in re vulgo non æstimata ingratus labor deficeret, non nisi inter tenuia initia hærebat litterarum restauratio, & in ipsa herba suppressionem metuebat. At cælo missa Typographia, dum labores mirifice sublevavit, & paucis hactenus concessum omnibus quasi communem fecit litterarum usum, plus quàm quicquam aliud ad illarum propagationem contulit. Neque vero veterum tantum sapientia hoc medio iterum diffusa est, sed & si quis recentiorum aliquid Reip. utile & profuturum seculis observavit, disseminare statim per orbem terrarum facili compendio potuit. Res profecto mirabilis, mirabilior futura, si non adeo vulgari contigisset. Fuerunt idcirco Typographi inter initia non parvo in pretio, antequam novitatem exueret præstans inventum: & non tantum excelsissimi Principes animi caussa Augustas manus suas nobili artificio aliquando commodarunt, quod de Henrico III. Ludovico XIII, Galliarum magnis Regibus, constat, ne de Marco Musuro, Jano Lascare ex Imperatoria Græcorum stirpe dicam; sed etiam inter primos Typographos Viros reperias generis claritate insignes, qui nobilitati suæ tenebras inducere non crediderunt illius Artis exercitium, qua nobilior ab orbe condito vix extitit,

cuique

cuique redivivum ſplendorem ſuum Patrum & noſtra ætas debet. Nimis hyperbolica crederes, & tamen æterno operi ſuo non dubitavit iſta de Roberto Stephano Pariſienſi Typographo Regio verba ad annum CIↃ IↃ LIX. inſerere Jacobus Auguſtus Thuanus, non belli minus, quàm pacis operum æquus æſtimator & præco: *Illi ob id non ſolùm Gallia, ſed univerſus Chriſtianus Orbis plus debet, quam cuiquam fortiſſimorum belli Ducum ob propagatos fines patria unquam debuit, majusq; ex ejus unius induſtria, quam ex tot præclarè bello & pace geſtis ad Franciſcum decus & nunquam interitura gloria redundavit.* Sed, cur ego rei ab omnibus laudatæ, & cujus maximus uſus in aprico eſt, encomium ſcribo? ad MULLERUM noſtrum potius, cujus cauſſa hæc adduxi, accedo. Quamvis enim non mereatur ille Manutiis, Stephanis, Frobeniis, Plantinis, Moretis, Raphelnegiis, vaſtæ eruditionis Viris, æquiparari, tamen ejus in Arte, quam profitebatur, ſingularis petiria, dexteritas, promptitudo, curioſitas, induſtria merentur ab omnibus, qui eum noverunt, laudari. Si alii ſplendidis ſuis & magnificis operibus, typisque non minus quam charta nitida magis ſe jactant, conſtat tamen, illos vel à propriis opibus vel magnatum favore ſubſidium habuiſſe: At MULLERUS noſter ſuo tenui ſucco vivens ſuæ induſtriæ, quicquid promeruit laudis, debuit, nec minus tamen Græcis & Latinis elegantibus typis, ſi non vaſta admodum, utilia tamen, vulgavit opera: dumque per omnes eruditi orbis plagas Calixtorum, Hahniorum, Conringiorum ſcripta legentur, MULLERO ſua laus non negabitur, interque χαριέντων Typographorum Emblemata, Frobenii Caduceum, Plantinianorum Circinum, Wechelianorum Pegaſum, per docta virorum ora volitantia, MULLERI noſtri LILIUM

Se quoque Principibus permiſtum agnoſcet Achivis.

Non igitur præter rem feciſſe videbor, ſi in hac Academia, de cujus doctrina propaganda tam præclarè ille arte ſua meritus eſt,

 nata-

natales ejus & vitam ad memoriam posteritatis recenseam. Natus est in hac urbe, IV. Febr. mensis die, intra IV.& V. matutinam, anno hujus seculi septimo, Patre itidem Typographo, matre ELISABETHA DONSIA, civis Wolffenbuttelensis filia. Ab his Parentibus Christiano more baptismatis sacris initiatus, deinde ad omnem pietatem ductus est, cumque prima litterarũ fundamenta in schola publica didicisset, singulari ad paternam artem propensione illi se mancipavit, feliciterque progressus cum hîc, tum alibi in varijs Germaniæ locis, quod à Parente didicerat, non sine industriæ & fidei laude, exercuit. Rediit deinde domum, ut parentes senio confectos solaretur & ope sua sublevaret. Non posse tamen hoc commode fieri, nec artem quæ ministrorum plurium opera indigeret, exerceri, facile prospexit, nisi rem suam familiarem rectè prius ordinaret. Ideoque uxorem sibi legit ANNAM SOPHIAM, Viri plurimum reverendi & doctissimi DAVIDIS BOEKELII, Superintendentis Burchtorfiensis meritissimi, filiam. Nobilior est BOEKELIORUM familia à plurimis jam seculis, quam ut ejus splendor paucis verbis hîc a me queat exponi: primis quidem conditoribus in Brabantia & Hollandia sedem suam habentibus, posteris verò eorum per Vandaliam & Saxoniam latè diffusis: nunquam non magnis in ea virtutis & eruditionis exemplis extantibus. Hoc stemmate oriunda fuit, ANNA SOPHIA, Patre DAVIDE Medico longè celeberrimo & Serenissimi Brunsvic. & Lynæburg. Ducis Proto-Chirurgo, matre REBECCA, JACOBI LUCII, primi in hac Academia & meritissimi Typographi, filia. Matrimonium cum illa iniit MULLERUS anno seculi hujus quadragesimo, quod divinæ benedictionis plenissimum, concors & fœcundum fuit, duobus adhuc filijs ex ea superstitibus, qui patri exequias mæsti parant, tertio mor-

tuo

tuo Hildesiæ, cum Vrbis illius Typographus ordinarius constitutus esset. Sed hæc tredecim annorum felicitas tantum fuit, quæ morte optimæ BOEKELIÆ temerata in gravissimos luctus viduum conjecit. Cumque res familiaris ejus sine curarum socia administrari non posset, de secundis nuptiis cogitavit, & ANNAM MARIAM, TOBIÆ CRVLLII hujus Oppidi Consulis filiam, uxorem duxit, cum qua sterile quidem conjugium habuit, sed non minus fæcundum amore, mutua charitate & adjutorio, quod illi urgente senecta & gravibus morbis tam fideliter præstitit, ut suæ quidem conscientiæ satisfecerit, liberorum vero & cognatorum vota superaverit. Per decem enim integros annos cum alia incommoda sensit, tum vesicæ calculo graviter laboravit, adjutricis indigus quàm maximè. Horrendo tortore illo tandem fractus, cum laboribus continuis non sufficeret, quieti se dedit, filioque suo HENRICO DAVIDI Typographeum omne transcripsit, rectè prius constitutis ijs, quæ quomodocunque inter fratres lites excitare possent. Et ille quidem HENRICVS DAVID ab Inclyta hac Academia, Patris merita æstimante, & de filio non minora sibi pollicente, Ordinarius Typographus constitutus est, quo munere Parens HENNINGVS per triginta quinque annos functus & ita functus fuerat, ut ob industriam & fidem carus, amorem omnium mereretur & favorem inveniret. Quod igitur sanus vegetusque benè gesserat, id æger & senex deponere, quàm non rectè gerere maluit: id quod prudentis & rerum suarum satagentis viri indicium est. Vitæ quoque integritate nemini concessit, pietati semper deditus, vicinis amicus & adjutor, cognatis tutor, pauperibus benefactor, bonus paterfamilias, optimus Pater. In ijs, quæ per tristia temporum, quibus vixit, evenerunt, inque domesticis calamitatibus, quæ non de-

suerunt

fuerunt, æquo animo ferendis magnam conſtantiam ſemper oſtendit: imprimis in ultimo morbo, qui per integrum decennium immanes dolores creavit, viresque fregit, & ſenſim mortem ipſam induxit. Quanti ſint dolores, qui veſicam lacerant, ejusque oſtium obſtruunt & excretiones naturales impediunt, illi imprimis norunt, qui ſimilibus malis affliguntur: nunquam tamen quisquã impatientiã teſtantia verba ab ipſo audivit, ſed contumacis doloris ferociâ ſuperatâ ſemper poſt multã luctam invictus ſtetit. Varia quidẽ & optima medicamenta plures per annos adhibuit, & ubi levamen ex illis invenit, gratias agit Deo; cum tamen malum remedio majus eſſe ſenſim intelligeret, illa cum tædio uſurpavit, & ſatur vitæ hujus æterna ſemper cogitavit. Refectus igitur ſermonibus Eccleſiæ miniſtrorum, & CHRISTI corpore & ſanguine roboratus (ô ſalutarem & ſecretam, quam incredulus neſcit, panaceam!) die IV. Februar. mane inter tertiam & quartam obiit, eo ipſo die menſis & eadem penè hora, qua ante annos ſexaginta & octo natus. Benè ſit æternum animæ ipſius! Sed & nos quoque memores inſtantis mortis, quæ hunc quidem ſenem, ſed non minus juvenes rapit, ita vivamus, ac ſi cras morituri & omnium dictorum factorumque noſtrorum reddituri rationem ſimus. Ad mortis vero memoriam in nobis, mundi negotiis ſæpe nimis immerſis, concitandam plurimum facit, ſi exequiis frequenter interſimus, & non minus Eccleſiæ miniſtrorum in eam rem collimantes conciones audiamus, quam cum piis hominibus de inſtante mortis hora ſermones inſtituamus, vivis exemplis & ſarcophago præeunte fortius etiam nos moventibus. Non dubito igitur, quin & Vos, Cives Academici, frequentes adfuturi ſitis, dum juſta parantur ſeni bono, pio, induſtrio & de re litteraria ſuo modo præclarè merito. Valete. P. P. in Acad. Julia XIV. Feb. MDCLXXV.